

§. XIV. GVERNATIONES imperii Porussici plures sunt. (I.) BEROLINI a) senatus sanctior, der *Geheimdeste Staats-Rath*, de cuius institutione vid. supra. Hic duplex iterum; vnus, vbi res pacis; alter, vbi bellica negotia tractantur, ipso Rege praeside, b) Camerae iudicium, quorsum adpellationes e Marchia Brandeburgica.

*Dictum etiam von der Geheimden Cammer, Commissariat, Jagd, Cankelen, Renthen, u. s. w.*

(II.) Cuilibet etiam prouinciae peculiari REGIMINE, quod dicunt, prospectum est. a) In *Porussiae* regno *Koenigsbergae*; vbi praesidet der *Königliche Burggrafe* b) in *Marchia Berolini*, & *Cüstrini*, vbi res *Nouae Marchiae*, ducatus *Crosnensis*, & quae Brand. ditionis in *Lusatia*, inferiori, tractantur. c) *Cliuiae D. & Markani* Comitatus negotia *Cliuiae* expediuntur, d) *Pomeranica* administrantur *Stargardiae*, e) *Magdeburgica* autem *Halae*, f) *Halberstadii* g) & *Mindae*, principatus horum nominum reguntur, h) *Rauensbergensibus* quondam idem ac *Cliuiae* iudicium fuit; sed ante aliquot annos precibus eorum locus datus est, vt peculiare forum haberent *Berolini*. Locum vero supremum in ista regione praefectus tenet der *Land-Drost zu Sparenberg*.

*Nunc aestimet secum aliquis, quam nullis sumtibus parcat Rex Porussiae in rebus, quae ad expeditam iustitiae aequitatisque rationem facere possunt. Cameralia, vbi tributorum reddituumque rationes habentur, & Consistoria praetereo, a singulis his iudiciis ubique iterum distincta.*

§. XV. ARMIS etiam decoratum est Porussici regni systema. Hinc firmissima munimenta numerare licet. In *PORUSSIA* sub extremitate lacus curonici (1) *Memela*, arx munitissima, & capacissimus portus, (2) *Pillouia*, quae aditum claudit custoditque e *Balthico* mari in das *frische Haf*, (3) *Regiomontum*, quamuis amplitudo maximae vrbs munitiones non patiatur.

In *MARCHIA* veteri, *Werbena* quondam: in media *Ratenau*, *Spandau*, in confluentia *Hauelae* ac *Spreae* loco palustri sita & valde munita, ac *Berolinum*: in noua, *Cüstrinum* 37. pontibus clausum, *Driesena*, *Polonis* obiectum